Orat. Funeb. XVII.

De cruce & patientia Jobi.

Job. cap. 1. verſ. 1. Vir erat in terra Huz, &c.

Exordium.

AMICISSIMI, Decantatiſſimum & in multorum ore eſt exemplũ patientiæ Jobi, quemadmodum id nobis etiam ab Apoſtolo Jacobo commendatur. Utinam autem quàm eſt notum, tam à nobis ſingulis ad uſum & ad imitationem traheretur, videlicet, ut nos in noſtris calamitatibus & miſeriis, patientiam exerceremus, DEO libenter obtemperaremus, & ei gratias ageremus, & fide & ſpe ab illo unicè penderemus, dicendo: *Nudus egreſſus ſum,* &c. *Dominus dedit, dominus abſtulit,* &c.

Loci. Quum nemo citra quod bonũ eſt, aut cogitare aut dicere quicquã poteſt, Ieſu bone largire nobis gratiam.

Proponuntur autem nobis in prælecta hiſtoria hac Jobi, aliquot loci, ex quibus potiſſimum hi ſequentes nunc nobis obſervandi veniunt.

I. *De cruce & calamitatibus Jobi.*

II. *De cauſis calamitatum Jobi, & piorum.*

III. *A quibus immittantur calamitates?*

IV. *Quomodo Jobus ſe geſſerit in his calamitatibus, nempe, de patientia & conſolatione Jobi in cruce.*

I. De